

Alte Drucke

**M. T. CICE=||RONIS EPISTO-||LAE AD COMPLVRES ||
SCRIPTAE, QVAS VVLGO || FAMILIARES APPEL=||LARVNT, ||
CVM ARGVMENTIS GI-||berti Longolij, editæ || DE ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1566

VD16 ZV 30873

MARCI TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD SENATVM, ET CAETEROS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149860

MARCI TVLLII

CICERONIS EPISTOLARVM

LIBER AD SENATVM,

ET CAETEROS.

M. T. C. M. F. PROCONS. S. P. D.
 COSS. PRAET. TR. PL. SE-
 NATVI P. Q. R.

377



Iuos B.V.B.E.E.Q.V. Et si non
 dubie mihi nunciabatur Parthos
 transisse Euphratem cū omnibus
 fere suis copijs: tamen quod arbi-
 trabar a M. Bibulo Proconsule
 certiora de his reb. ad uos scribi
 posse statuebā mihi nō necesse es-

se publice scribere ea, quæ de alterius prouincia nū-
 ciarētur. Postea uero quā certissimis autoribus, lega-
 tis, nuncijs, literis sū certior factus: uel quod tanta res
 erat, uel quod nondū audieramus Bibulū in Syriam ue-
 misse, uel quia administratio huius belli mihi cū Bibulo
 pene est communis: quæ ad me delata essent, scribēda
 ad uos putauī. Regis Antiochi Commageni legati pri-
 mi mihi nunciarunt Parthorū magnas copias Euphra-
 tem transire cæpisse. Quo nuncio allato, cum essent
 nonnulli, qui ei rei minorem fidem habendā putarēt
 statui expectandum esse, si quid certius afferretur.
 Ad XIII. Calend. Octobris cum exercitum in Ci-
 liciam ducerem, in finibus Lyeconia et Cappado-
 ciæ mihi literæ redditæ sunt a Tarchondimoto, qui
 fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusq; popu-

li Romani existimatur: Pacorum Orodis regis Parthorum filium cū permagno equitatu Parthico transisse Euphratem & castra posuisse Tybæ, magnumque tumultum esse in provincia Syria excitatum. Eodem die ab Iamblichō Phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene sentire, amicūque esse Reipublicæ nostræ, literæ de eisdē rebus mihi redditæ sunt. His rebus allatis, etsi intelligebam socios infirmos animatos esse, & nouarum rerum expectatione suspensos: sperabam tamen eos, ad quos iam acceperam, quique nostram consuetudinem, integritatemque perpexerant, amiciores populo Rom. esse factos. Ciliciam autem firmiorem fore, si equitatus nostri particeps facta esset. Et ob eam causam, et ut opprimerentur ij, qui ex Cilicum gente in armis essent, & ut hostis is, qui esset in Syria, sciret exercitum populi Rom. non modo non cedere his nuncijs allatis, sed etiam propius accedere: exercitum ad Taurum institui ducere. Sed si quid apud uos autoritas mea ponderis habet, in ijs præsertim rebus, quas uos audistis, ego plane cerno: magno pere uos & hortor & moneo, ut his prouincijs serius uos quidem, quam decuit, sed aliquando tamen consulatis. Nos quemadmodum instructos, & quibus præsidjs munitos ad tati belli opinionem miseritis, non estis ignari, quod ego negotium non stulticia obcæcatus, sed uerecundia deterritus non recusauī. Neque enim unquam ullum periculum tantum putauī, quod subterfugere mallet, quam uestre autoritati obtemperare. Hoc autem tempore res sese sic habet, ut nisi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere soletis, mature in has prouincias miseritis,

is summum periculum sit, ne amittendæ sint omnes
 hæc prouinciæ, quibus uectigalia populi Romani con-
 tinentur. Quamobrem autem in hoc prouinciali de-
 lectu spem habeatis aliquam, causa nulla est: neq; mul-
 ti sunt, & diffugiunt, qui sunt, metu oblato. Et quod
 genus hoc militum sit, iudicauit uir fortissimus M. Bi-
 bulus in Asia, qui, cum uos ei permisissetis, delectum
 habere noluerit. Nam sociorum auxilia propter acera-
 bilitatem atq; iniurias imperij nostri, aut ita imbecilla
 sunt, ut non multum nos iuuare possint: aut ita aliena
 ita a nobis, ut neq; expectandum ab ijs, neq; commit-
 tendum ijs quicquam esse uideatur. Regis Deiotari et
 uoluntatem & copias, quantæcunq; sunt, nostras esse
 duco, Cappadocia est inanis. Reliqui reges tyranniq;
 neq; opibus satis firmi nec uoluntate sunt. Mibi in hac
 paucitate militum animus certe non deerit, spero ne
 consilium quidem. Quid casurum sit, incertum est. Vti
 nam saluti nostræ consulere possimus, dignitati cera-
 te consulemus. Valete.

M. T. C. M. F. PROCONS. S. P. D.
 COSS. PRÆT. TR. PL. SE-
 NATVI P. Q. R.

378

SI V. B. V. B. E. E. Q. V. Cum pridie Calend.
 Sext. in prouinciam uenissem, neq; maturius pro-
 pter itinerum & nauigationum difficultatem uenire
 potuissem: maxime conuenire officio meo, Reiq; pu-
 blicæ cōducere putauī, parare ea, quæ ad exercitum,
 quæq; ad rem militarem pertinerēt. Quæ cum essent
 a me cura magis & diligentia, quam facultate et co-
 pia constituta: nunciq; & literæ de bello a Parthis
 in

2

in provinciam Syriam illato, quotidie fere asseren-
tur: iter mihi faciendum per Lycaoniam, & per Isau-
ros & per Cappadociam arbitratus sum. erat enim
magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi, atque ir-
rumpere in eam provinciam conarentur, iter eos per
Cappadociam, quod ea maxime pateret, esse facturos.
Itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam,
quæ cum Cilicia continens est, iter feci, castraque ad
Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, loca-
caui, ut Artuafdes rex armenius, quocumq; animo es-
set, sciret non procul a suis finibus exercitum populi
Romani esse, & Deiotarum fidelissimum regem, atq;
amicissimum Reipublicæ nostræ, maxime coniunctum
haberem, hominem, cuius & consilio & opibus ad-
iuuari posset Respub. Quo cum in loco castra haben-
rem, equitatumq; in Ciliciam misissem, ut & meus ad-
uentus ijs ciuitatibus, quæ in ea parte essent, nuncia-
tus, firmiores animos hominum faceret: et ego matu-
re, quid ageretur in Syria, scire possem: tempus eius
tridui, quod in his castris morabar, in magno officio
& necessario mihi ponendum putavi. Cum enim
uestra autoritas intercessisset, ut ego regem Ariobar-
zanem, Buseben, & Philorromæum tuerer, eiusque
regis salutem, incolumitatem, regnumq; defenderem,
regi, regnoq; præsidio essem: adiunxissetisq; salutem
eius regis Populo Senatuiq; Romano magnæ curæ es-
se, quod nullo inquam de rege decretum esset a no-
stro ordine: existimaui me iudicium uestrum, ad re-
gem deferre debere, eiq; præsidium meum, & fi-
dem, & diligentiam polliceri, ut quando salus ipsius
& incolumitas regni mihi commendata esset a uobis
dice-

diceret, si quid uellet. Quæ cum essem in consilio meo cum rege locutus, initio ille orationis suæ uobis maximas, ut debuit, deinde etiā mihi gratias egit: quod ei permagnum & perbonorificum uidebatur, S. P. Q. R. tantæ curæ esse salutem suam: meq; tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides & cōmendationis uestræ autoritas perspicere posset. Atq; ille primo, quod mihi maximæ læticiæ fuit, ita mecum locutus est, ut nullas insidias uitæ suæ neq; regno diceret se aut intelligere fieri, aut etiam sufficari. Cū ei ego gratulatus essem, idq; me gaudere dixissem, cohortatus, ut recordaretur casum illū interitus paterni, & uigilanter se tueretur, atq; admonitu senatus consulere salutis suæ: tum a me discessit in oppidum Cybistra. Postero autem die, cum Ariarate fratre suo & cum paternis amicis maioribus natu, ad me in castra uenit, perturbatusq; & flens, cum idem & frater faceret & amici, meam fidem, & uestram commendationem implorare cœpit. Cum admirarer, quid accidisset noui, dixit, ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata, quæ essent ante aduentum meum occultata, quod ij, qui ea patefacere possent, propter metum reticuisissent: eo autem tempore spei mei præsidij complures ea, quæ scirent, audacter ad se detulissent: in his amantissimum sui summa pietate præditum fratrem dicere ea, quæ is me quoq; audiente dicebat, se sollicitatū esse, ut regnare uellet: id uiuo fratre suo accidere non potuisse: se tamen ante illud tempus eam rem nunquam in medium propter periculi meum protulisse. Quæ cum esset locutus, monui regem, ut omnem diligentiam ad se conseruandum adhibere

hiberet amicosq; in patris eius fide, atq; iudicio probatos, hortatus sum regis sui uitam, docti casu acerbisimo patris eius, omni cura, custodiaq; defenderent. Cum rex a me equitatum, cohortesq; de exercitu meo postularet: etsi intelligebam uestro senatusconsulto non modo posse me id facere, sed etiam debere: tamen cum Respublica postularet propter quotidianos ex Syria nuncios, ut quamprimum exercitum ad Ciliciæ fines adducerem: cumq; mihi rex patefactis iam insidijs non egere exercitu populi Romani, sed posse se suis opibus defendere uideretur: illū cohortatus sum: ut in sua uita conseruanda primum regnare disceret, a quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur iure regio: pœna afficeret; quos necesse esset: reliquos metu liberaret: præsidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorem potius, quam ad contentionem uteretur. Fore autem, ut omnes, quando senatusconsultum nossent, intelligerēt me regis, si opus esset, ex autoritate uestra præsidio esse futurum. Ita confirmato illo, ex eo loco castra moui, & iter in Ciliciam facere institui, cum hac opinione e Cappadocia discederem, ut consilio uestro, casu incredibili ac pene diuino regem, quem uos honorificentissime appellassetis nullo postulante, quemq; meæ fidei commendassetis, & cuius salutem magnæ uobis curæ esse decreuissetis, meus aduentus præsentibus insidijs liberaret. Quod ad uos a me scribi non alienum putauī, ut intelligeretis ex ijs, quæ pene acciderunt, nos multo ante, ne ea acciderent, pronūdisse: eoq; uos studiosius feci certiores, quod in Rege Ariobarzane ea mihi signa uideor uirtutis, ingenij, fidei,

fidei, benevolentiaq; erga uos perssexisse, ut non sine
caussa tantam curam, diligentiamq; in eius uos salu-
tem uideamini contulisse. Valete.

M. T. C. PROCONS. M. CA-

TONI S. D.

379

Cum ad me legati missi ab Antiocho Commage-
no uenissent in castra ad Iconium ad III. Nonas
Septemb. iijq; mibi nunciaissent, regis Parthorum filia
una, quo cum esset nupta regis Armeniorum soror, ad
Buphraten cum maximis Parthorum copijs, multa-
rumq; praeterea gentium magna manu uenisse, Buphra-
temq; iam transire coepisse: diciq; Armenium regem
in Cappadociam impetum esse facturum: putauit pro
nostra necessitudine me hoc ad te scribere oportere.
Publice propter duas causas nihil scripsi: quod &
ipsum Commagenum legati dicebant ad senatum sta-
tim nuncios, literasq; misisse: & existimabam M. Bi-
bulum Proconsulem, qui circiter Idus Sextileis ab Ba-
pheso in Syriam nauibus profectus erat, quod secun-
dos uentos habuisset, iam in prouinciam suam perue-
nisse: cuius literis omnia certiora perlatum iri ad se-
natum putabam. Mibi, ut in huiusmodi re, tantog; bel-
lo, maximae curae est, ut quae copijs & opibus tenere
uix possamus, ea mansuetudine & continentia no-
stra, sociorum fidelitate teneamus. Tu uelim ut con-
sueuisti, nos absentes diligas, & defendas. Vale.

M. T. C. IMP. M. CATONI

S. P. D.

380

Summa tua autoritas fecit, meumq; perpetuum
de tua singulari uirtute iudicium, ut magni mea
inter

interesse putarem, & res eas quas gessissem, tibi notas esse, & non ignorari a te, qua æquitate & continentia tuerer socios, prouinciamq; administrarem. His enim a te cognitis, arbitrabar facilius me tibi, que uellem, probaturum. Cum in prouinciam pridie Calend. Sextil. uenissem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum uiderem, biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quatrimum, triduum Synnadis, totidem dies Philomeli. Quibus in oppidis cum magni conuentus fuissent, multas ciuitates acerbissimis tributis, & grauissimis usuris, & falso ære alieno liberaui. Cumq; ante aduentum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine Legato, sine tribuno militum, denique etiam sine Centurione ullo apud Philomelum confedisent, reliquus exercitus esset in Lyaconia: M. Marcellus legato imperaui, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lyaconia apud Iconium faceret. Quod cum ab illo diligenter esset actum, ego in castra ad VII. Calendas Septemb. ueni: cum interea superioribus diebus ex senatusconsulto, & euocatorum firmam manum, & equitatum satis idoneum, & populorum liberorum, regūq; sociorum auxilia uoluntaria comparauissem. Interim cum exercitu lustrato iter in Ciliciam facere cepissem, Calendis Septembris, legati a rege Cōmageno ad me missi, pertumultuose, neq; non uere, Parthos in Syriam transisse nunciauerunt. Quo audito, uehementer sum commotus cum de Syria, tum de mea prouincia, de reliqua denique Asia. Itaque exercitum mihi ducendum

per

per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret: putavi. Nam si me in Ciliciam demissem, Ciliciam quidem ipsam propter montis Amani naturam facile tenuissem (Duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria, quorum uterq; parvis præsidijis propter angustias intercludi potest, nec est quicquam Cilicia contra Syriam munitius) sed me Cappadocia movebat, quæ patet a Syria, regeq; habet finitimos, qui etiam si sunt amici nobis, tamen aperte Parthis inimici esse non audent: itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens, nova finitiorum consilia impedirem. Interea in hoc tanto motu, tantaq; expectatione maximi belli, rex Deiotarus, cui non sine causa plurimum semper & meo & tuo & senatus iudicio tributum est, uir cum benevolentia & fide erga Pop. Roman. singulari, tum præstanti magnitudine & animi & consilij, legatos ad me misit, se cum omnib. suis copijs in mea castra esse venturum. Cuius ego studio, officioq; commotus, egi ei per literas gratias, idq; ut maturaret, hortatus sum. Cui autem ad Cybistra propter rationem belli quinque dies essem commoratus, regem Ariobarzanem, cuius salutem a senatu te autore commendatam habebam, præsentibus insidijs, nec opinantem liberaui: neque solum ei salutem fui, sed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi commendaras, Athenæum, importunitate Athenaidis exilio multatos, maxima apud regem auctoritate gratiaq; constitui. Cumq; magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis se, quod

h

factu

facturus putabatur, defenderet, adolescens & equita-
tu & peditatu & pecunia paratus & socijs, qui
nouari aliquid uolebant, perfeci, ut e regno illo disce-
deret: rexq; sine tumultu ac sine armis, omni auctori-
tate aulæ communita, regnum cum dignitate obtine-
ret. Interea cognoui multorum literis atq; nuncijs
magnas Parthorum copias & Arabum, ad oppidum
Antiochiam accessisse, magnūq; eorum equitatum,
qui in Ciliciam transisset, ab equitū meorum turmis
& a cohorte prætoris, quæ erat Epiphanæ præsi-
dijs causa, occisione occisum. Quare cum uiderem a
Cappadocia Parthorū copias auersas, non longe a
finibus esse Ciliciæ: quam potui maximis itineribus
ad Amanum exercitum duxi. Quo ut ueni, hostem ab
Antiochia recessisse, Bibulum Antiochiæ esse cognou-
i, Deiotarumq; confestim iam ad me uenientem cum
magno & firmo equitatu & peditatu, & cum co-
mnibus suis copijs, certiozem feci, non uideri esse cau-
sam, cur abesset a regno: meq; ad eum, si quid forte
nouum accidisset, statim literas nunciosq; missurum esse.
Cum eo animo uenissem, ut utrique prouinciæ, si ita
tempus ferret, subuenirem: tamen id, quod iam ante
constitueram uehementer interesse utriusq; prouin-
ciæ, pacare Amanū, & perpetuum hostem ex eo
monte tollere, agere perrexi. Cumq; me discedere
ab eo monte simulasssem, & alias parteis Ciliciæ pe-
tere, abessemq; ab Amano iter unius diei & castra
apud Epiphanæam fecissem: ad quartum Idus Octo-
bris, cum aduersperasceret, expedito exercitu ita no-
ctu iter feci, ut ad tertium Idus Octobris, cum luce sce-
ret, in Amanum ascenderem, distributisq; cohorti-
bus

bus & auxilijs, cum alijs Quintus frater legatus me-
cum simul, alijs C. Pontinus legatus, reliquis Marcus
Manneius & Lucius Tulleius legati præsentes: ple-
rosq; nec opinanteis oppressimus, qui occisi, captique
sunt: interclusi reliqui. Fugeranam autem, quæ fuit
non uici instar, sed urbis, quod erat Amani caput:
itemq; Sepyram & Ceminorim, acriter & diu repu-
gnantibus, Pontino illam partem Amani tenente, ex
antelucano tempore usq; ad horam diei decimam ma-
gna multitudo hostium occisa cepimus, castellaq; sex
capta, complura incendimus. His rebus ita gestis,
castra in radicibus Amani habuimus apud Aras Ale-
xandri quadriduum: & in reliquis Amani delendis,
agrisq; uastandis, quæ pars eius montis meæ prouina-
ciæ est, id tempus omne consumsimus. Confectis his re-
bus, ad oppidum Eleutherocilicū Pindenissum exera-
cium adduxi: quod cum esset altissimo & munitis-
simo loco, ab ijsq; incoleretur, qui ne regibus quidem
unquam paruissent: cum & fugitiuos reciperent, &
Parthorum aduentum acerrime expectarent: ad exi-
stimationem imperij pertinere arbitratus sum, cōpri-
mere eorum audaciam: quo facilius etiam cæterorum
animi, qui alieni essent ab imperio nostro, frangeren-
tur. Vallo & fossa circumdedi: sex castellis, castrisq;
maximis sepsi: aggere, uineis, turribusq; oppugnaui:
usq; tormentis multis, multis sagittarijs magno la-
bore meo, sine ulla molestia, sumtuue sociorū, septimo
quinquagesimo die rem confeci: ut omnibus partibus
urbis disturbatis, aut incensis, compulsi in potesta-
tem meā peruenirent. His erant finitimi pari scelere
& audacia Tibarani: ab his Pindenisso capto obsides

accepi. Exercitum in hiberna dimisi. Quint. fratrem
negocio præposui, ut in uicis aut captis aut male pa-
catis exercitus collocaretur. Nunc uelim tibi sic per-
suadeas: si de his rebus ad senatum relatum sit, me ex-
istimaturum summam mihi laudem tributam, si tu bo-
norem meum sententia tua comprobaris. Idq; etsi ta-
libus de rebus grauissimos homines & rogare solere
& rogari scio, tamen admonendum potius te a me,
quam rogandum puto. tu es enim is, qui me tuis sen-
tentijs sæpiissime ornasti: qui oratione, qui prædica-
tione, qui summis laudib. in senatu, in concionibus ad
cælum extulisti: cuius ego semper tanta esse uerborū
pondera putauī, ut uno uerbo tuo cum mea laude con-
iuncto, omnia consequi me arbitrarer. Te deniq;
que memini, cum cuidam clarissimo atq; optimo uiro
supplicationem non decerneres, dicere te decretu-
rum, si referretur ob eas res, quas is consul in urbe
gessisset. Tu idem mihi supplicationem decreuisti tes-
gato, non ut multis, Repub. bene gesta, sed ut nemini,
Repub. conseruata: Mitto quod inuidiam, quod
pericula, quod omnes meas tempestates, & subieris
& multo etiam magis, si per me licuisset, subire para-
tissimus fueris: quod deniq; inimicum meum, tuum ini-
micum putaris: cuius etiam interitum, ut facile intelli-
gerem mihi quantum tribueres. Milonis causa in se-
natu defendenda approbaris. A me autem hæc sunt
profecta, quæ ego in beneficij loco non pono, sed in
ueri testimonij atq; iudicij: non ut præstantissimas tu-
as uirtutes tacitus admirarer (quis enim idem non fa-
cit?) sed in omnibus orationibus, sententijs dicendis,
causis agendis, omnibus scriptis, Græcis, Latinis,

omni

omni deniq; uarietate literarum mearum, te non modo ijs, quos uidiſſemus, ſed ijs, de quibus audiſſemus omnibus anteferre. Quæ res forteſſe, quid ſi quod ego hoc neſcio quid gratulationis & honoris a ſenatu tanti æſtimem. Agam iam tecum familiariter, ut eſt & ſtudijs & officijs noſtris mutuis & ſumma amicitia dignum, & neceſſitudine etiam paterna. Si quiſquam fuit unquam remotus & natura & magis etiam, ut mihi quidem ſentire uideor, ratione atq; doctrina ab inani laude & ſermonibus uulgi, ego proſeſſo ſum: teſtis eſt conſulatus meus: in quo, ſicut in reliqua uita, fateor ea me ſtudioſe ſecutum, ex quibus uera gloria naſci poſſet: ipſam quidem gloriã per ſe nunquam putavi expetendam: itaq; & prouinciã ornatam & ſpem non dubiam triumphi neglexi. Sacerdotium deniq;, cum (quemadmodum te exiſtimaſſe arbitror) non difficilime conſequi poſſem, non appetui. Idem poſt iniuriam acceptam, quam tu Reipublicæ calamitatem ſemper appellas, meam non modo non calamitatem, ſed etiam gloriã, ſtudiũ quã oratiſſima ſenatus, populiq; Rom. de me iudicia intercedere. Itaque & Augur poſtea fieri uolui, quod antea neglexeram: & eum honorem, qui a ſenatu tribui rebus bellicis ſolet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto. Huic meæ uoluntati, in qua in eſt aliqua uis deſiderij, ad ſanandum uulnus iniuriæ, ut ſauetis, adiutorq; ſis, quod paulo ante me negaram rogaturum, uehementer te rogo: ſed ita, ſi non icium hoc neſcio quid, quod ego geſſi, & contemnendum uidebitur, ſed tale atq; tantum, ut multi nequaquam paribus rebus honores ſummos a ſenatu conſe-

cuti sint. E quidem etiam mihi illud animaduertisse nō
 deor (scis enim quam attente te audire soleam) te non
 tam res gestas, quam mores, instituta atq; uitam im-
 peratorum spectare solere in habendis aut non habenda-
 dis honoribus. Quod si in mea causa considerabis,
 reperiēs me exercitū imbecillo contra metum maxi-
 mi belli, firmissimum præsidium habuisse, æquitatem
 & continentiam. His ego subsidijs ea sum conse-
 cutus, quæ nullis legionibus consequi potuissem: ut ex
 alienissimis socijs amicissimos ex infidelissimis firmis-
 simos redderem, animosq; nouarum rerum expecta-
 tione suspensos ad ueteris imperij beneuolentiam tra-
 ducerem. Sed nimis hæc multa de me, præsertim ad
 te, a quo uno omnium sociorum querelæ audiuntur:
 cognosces ex ijs, qui meis institutis se recreatos pu-
 tant. Cumque omnes uno prope consensu de me apud
 te ea, quæ mihi optatissima sunt, prædicabunt: tum
 duæ maximæ clientelæ tuæ. Cyprus insula & Cap-
 padociæ regnum, tecum de me loquentur: puto etiam
 regem Deiotarum, qui uni tibi est maxime necessa-
 rius. Quæ si etiam maiora sunt: & in omnibus secu-
 lis pauciores uiri reperti sunt, qui suas cupiditates,
 quam qui hostium copias uincerent: est profecto tu-
 um, cum ad res bellicas hæc, quæ rariora et difficili-
 ora sunt, genera uirtutis adiunxeris, ipsa etiam illas
 res gestas iustiores esse & maiores putare. Extre-
 mum illud est, ut quasi diffidens rogationi meæ, Philo-
 sophiam ad te allegem, quæ nec mihi carior ulla uis
 quam res, in uita fuit, nec hominū generi maius a deis
 munus ullum est datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum
 communis est, societas studiorum atque artium no-
 strarum

strarum, quibus a puericia dediti ac deuincti, soli pro-
pmodum nos Philosophiam illam ueram & anti-
quam, quæ quibusdam ocij esse ac desidæ uidetur, in-
forum atq; Rempub. atq; in ipsam aciem pene deduc-
ximus: tecum agit de mea laude, cui negari a Cato-
ne fas esse non puto. Quamobrem sic tibi persuadeas
uelim: si mihi tua sententia tributus honos ex meis
literis fuerit, me existimaturum cum auctoritate tua,
tum beneuolentia erga me, mihi, quod maxime cupie-
rim, contigisse. Vale.

M. CATO M. T. C. IMP.

S. P. D.

381

QUOD & Respublica me & nostra amicitia
hortatur, libenter facio, ut tuam uirtutem
innocentiam, diligentiam cognitam in maximis re-
bus, domi togati, armati foris, pari industria admini-
strare gaudeam. Itaque quod pro meo iudicio facere
potui, ut innocentia consilioq; tuo defensam prouin-
ciam, seruatum Ariobarzani cum ipso rege regnum
sociorum reuocatam ad studium imperij nostri uo-
luntatem, sententia mea & decreto laudarem, feci.
Supplicationem decretam, si tu qua in re nihil fortui-
to, sed summa tua ratione & continentia Reipubli-
cæ prouisum est, dys immortalibus gratulari nos,
quam tibi referri acceptū mauis, gaudeo. Quod si tri-
umpi prærogatiuam putas supplicationē, & idcir-
co casum potius, quam te laudari mauis, neq; supplica-
tionem sequitur semper triumphus: et triumpho mul-
to clarius est senatum iudicare, potius mansuetudi-
ne & innocentia imperatoris prouinciā, quam ui-
milia

b 4

milia

militum, aut benignitate deorum retentam atque conseruatam esse: quod ego mea sententia censebam. Atque hæc ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod maxime uolo, existimes me laborare, ut tibi persuadeam, me et uoluisse de tua maiestate, quod amplissimum sum arbitratus, et quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale et nos dilige, et instituto itinere securitatem indulgentiamque socij et Reipublicæ præsta.

M. T. C. M. CATONI

382

S. P. D.

LABTatus sum laudari me, inquit Hecctor, opinor apud Næuium, abs te pater laudato uiro. **EST ENIM** profecto iucunda laus, quæ ab ipso proficitur, qui ipsi in laude uixerunt. Ego uero uel gratulatione literarum tuarum, uel testimonijs sententiæ dictæ, nihil est, quod me non assecutum putem, Idque mihi tum amplissimum, tum gratissimum est te libenter amicitiae dedisse, quod liquido ueritati daret. Et si non modo unus, uerum etiam multi Catones essent in ciuitate nostra, in qua unum extitisse mirabile est: quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? Nam ad meum sensum et ad illud sincerum ac subtile iudicium nihil potest esse laudabilius, quàm ea tua oratio, quæ est ad me perscripta a meis necessarijs. Sed causam meæ uoluntatis non enim dicam cupiditatis, exposui tibi superioribus literis, quæ etiam si parum iusta tibi uisa est, banc tamen habet rationem, ut non nimis concupiscendus bonos, sed tamen, si deferatur a senatu, minime aspernandus

aus esse uideatur. Spero autem illum ordinem pro
meis ob Rempublicam susceptis laboribus, me non in
dignum honore, usitato præsertim, existimaturum.
Quod si ita erit, tantum ex te peto, quod amicissime
scribis: ut, cum tuo iudicio, quod amplissimum esse ar-
bitraris, mihi tribueris: si id, quod maluero, acciderit
gaudeas. Sic enim fecisse te, et scripsisse, et uerius sen-
sisse uideo: resque ipsa declarat, tibi illum honorem no-
strum supplicationis fuisse iucundum, quod scribendo
affuisti. Hæc enim senatuscons. non ignoro ab amicis
simis eius, cuius de honore agitur, scribi solere. Ego
ut spero, te propediem uidebo, atque utinam Repub.
meliore, quam timeo. Vale.

M. T. C. PROC. M. MARCELLO
CONS. S. P. D.

383

TE pietatis in tuos et animi in Rempublicam
et clarissimi atque optimi consulatus C. Marcel-
lo consule facti fructum cepisse uehementer gaudeo.
Non dubito, quid præsentis sentiant, nos quidem lon-
ginq; a te ipso missi in ultimas gentes, ad cæ-
lam mehercule te tollimus uerissimis ac iustissimis lau-
dibus. Nam cum te a puericia tua unice dilexerim:
tunc me in omni genere semper amplissimum esse et
uolueris et iudicaris: tum hoc uel tuo facto, uel po-
puli Rom. de tuo iudicio multo acrius uehementiusque
diligo: maximaque læticia afficior, cum ab hominibus
prudentissimis, uirisque optimis, omnibus dictis, factis
studijs, institutis, uel me tui similem esse audio, uel te
mei. Vnum uero si addis ad præclarissimas res consularis
tui, ut aut mihi succedat quam primum aliquis, aut ne
b s quid

7

quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & senatus consulto & lege finisti: omnia me per te consecutum putabo. Cura ut ualeas, & me absentem diligas, atq; defendas. Quam mihi de Partbis nunciata sunt, quia non putabam a me etiam nunc scribenda esse publice, propterea ne pro familiaritate quidem nostra uolui ad te scribere: ne cum ad consulem scripisssem publice uiderer scripisse. Vale.

M. T. C. PROC. C. MARCEL.

384

CONS. DES. S. P. D.

Maxima sum laticia affectus, cum audiui te consulem factum esse, eumq; honorē tibi deos fortunare uolo, atq; a te pro tua parentisq; tui dignitate administrari. Nam cū te semper dilexi amauiq;, quod mei amantiſſimum cognoui in omni uarietate rerum mearum: tum patris tui pluribus beneficijs, uel defensus tristibus temporibus, uel ornatus secundis, necesse est, ut sim totus uester & esse debeam: cum praeter tim matris tuæ grauissimæ atq; optimæ scēminæ, maiora erga salutem dignitatemq; meam studia, quam erant a muliere postulanda, perspexerim. Quapropter a te peto maiorem in modum, ut me absentem diligas atq; defendas. Vale.

M. T. C. PROC. M. MARCEL.

385

COLLEGAE. S. P. D.

Marcellum tuum consulem factum, teq; ea laticia affectum esse, quam maxime optasti, mirū in modum gaudeo: idq; cum ipsius causa, tum quod te omnibus secundissimis rebus dignissimum iudico: cuius

cuius erga me singularem benevolentiam uel in labore meo, uel in honore perspexi: totam denique domum uestram uel salutis ad dignitatis meae studiosissimam cupidissimamque cognoui. Quare gratum mihi feceris, si uxori tuae iuniae grauißimae atque optimae faminae meis uerbis eris gratulatus. A te id, quod consueuisti, peto, me absentem diligas atque defendas. Vale.

M. T. C. IMP. C. MARCELLO

CONS. DESIG. S. P. D. 386

10
QUANDO id accidit, quod mihi maxime fuerat optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim generis ac nominis nostri fuit erga me semper animus) quando ergo ita accidit, ut omnium uestrum studio tuus Consulatus satisfacere posset, in quem meae res gestae, lausque et honor earum potissimum incideret: peto a te id, quod facillimum factu sit, non aspernante, ut confido, Senatui, ut quam honorificentissimum senatusconsultum litteris meis recitatis faciendum cures. Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me precipue diligi. Patris tui beneficia in me sunt amplissima: neque enim salutis meae, neque honori amicior quisquam dici potest. Frater tuus quanti me faciat, semperque fecerit, esse hominem qui ignorat arbitror neminem. Domus tua denique tota me semper omnibus summis officiis prosecuta est. Neque uero tu in me diligendo cuiquam concessisti tuorum. Quare a te peto maiorem in modum, ut me per te quam ornatissimum uelis esse: meoque et in supplicatione decernenda, et in ceteris
 ris

ris rebus existimationem satis tibi esse commendatam putes. Vale.

M. T. C. IMP. C. MARCELLO

387

CONS. DESIG. S. P. D.

Quantæ tibi curæ meus honos fuerit, & quam idem extiteris consul in me ornando & amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognoui tamen ex meorum omnium literis. Itaq; nihil est tantum quod ego non tua causa debeam, facturumq; sum cum studiose tum libenter. Nam magni interest, cui debeas. debere autem nemini malui, quam tibi, cui mecum studia communia, beneficia paterna, tuæq; iam ante coniunxerant: tum accedit, mea quidem sententia maximum uinculum, quod ita Rempublicam geris atq; gessisti, qua mihi carius nihil est, ut quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantumdem ego unus debeam non recusem. Quamobrem tibi uelim hi sint exitus, quos mereris & quo fore confido. Ego, si me natio non morabitur, quæ incurrebat in ipsas Etresias propediem te, ut spero, uidebo. Vale.

M. T. C. IMP. L. PAVLO CONS.

388

DESIG. S. P. D.

Et si mihi nunquam fuit dubium, quin te populus Romanus pro tuis summis in Rempublicam meritis, et pro amplissima familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis consulem facturus esset: tamen incredibili læticia sum affectus, cum id mihi nuntiatum est, eumq; honorem tibi deos fortunare uolo, a teq; ex tua, maiorumque tuorum dignitate admittam.

infra

nistrari. Atq; utinam præsens illum diem mihi optatissimum uidere potuissem, proq; tuis amplissimis erga me studijs atq; beneficijs tibi operam meam studiumq; nauare. Quam mihi facultatem, quando hic nec opinatus & improuisus prouinciæ casus eripuit: tamen ut te consulem Rempublicam pro tua dignitate gerentem uidere possim, magnopere a te peto, ut operam des, efficias, ne quid mihi fiat iniuriæ, neue quid mihi temporis ad meum annuum munus accedat, quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Vale.

M. T. C. IMP. L. PAVLO

CONS. S. P. D. 389

Maxime mihi fuit optatum Romæ esse tecum, 13
multas ob causas, sed præcipue & ut in petendo & in gerendo consulatum meum, tibi debitum studium perspicere posses. Ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen nauare operam uolebam. In consulatu uero cupio equidem te minus habere negotij: sed moleste fero, me Consulem tuum studium adolescentis perspexisse: te meum, cum id ætatis sim, perspicere non posse. Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper deur facultas: mihi ad remunerandum nihil superpetat, præter uoluntatem. Ornasti consulatum: ornasti reditum meum. Incidit meum tempus rerum gerendarum in ipsum Consulatum tuum. Itaq; cum & tua summa amplitudo & dignitas, & meus magnus honos, magnaq; existimatio postulare uideatur, ut a te plurimis uerbis contendam ac petam, ut quam

quam honorificentissimum senatusconsultum de meis rebus gestis faciendum cures : non audeo uehementer a te contendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ consuetudinis erga me oblitus esse uidear, aut te oblitum putem. Quare ut te uelle arbitror, ita faciam : atque ab eo quem omnes gentes sciunt de me optime meriti breuiter petam. Si alij consules essent, ad te potissimum Paule mitterem, ut eos mihi quam amicissimos redderes. nunc cum tua summa potestas summaque autoritas, notaque omnibus nostra necessitudo sit, uehementer te rogo, ut quam honorificentissime cures decernendum de meis rebus gestis & quam celerrime. Dignas res esses & honore & gratulatione, cognosces ex ijs litteris, quas ad te & collegam & senatum publice misi: omniumque mearum reliquarum rerum maximeque estimationis meæ procratationem susceptam uelim habere. Inprimisque tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoque litteris petui, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te consulem uidere, omniaque quæ spero, cum absens, tum etiam præsens te consule assequi. Vale.

M. T. C. C. CASSIO QVAEST.

390

S. P. D.

14
M Arcum Fabium quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaestum : multi enim anni sunt, cum ille in aere meo esset, & a me diligebatur propter summam suam humanitatem & obsequiantiam. Sed tamen quod ab eo te egregie diligenti sensi, multo etiam amicior sum auctus. Itaque quamquam profecerint litteræ tuæ, tamen aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te mihi

hi perspectus & cognitus. Sed de Fabio faciemus suaduisse, quæ rogas. tu multis de causis uellem me conuenire potuisses: primum, ut te, quem iamdiu plurimi facio, tanto interuallo uiderem: deinde, ut tibi, quod feci per literas, possem præsens gratulari: tū, ut quibus de rebus uellemus, tu tuis, ego meis inter nos communicarem: postremo ut amicitia nostra, quæ summis officijs ab utroque culta est, sed longis interuallis temporum interruptam consuetudinem habuit confirmaretur uehementius. Id quando non accidit, utemur bono literarum, & eadem fere absentes, quæ si coram essemus, cōsequemur. Vnus scilicet ille fructus, qui in te uidendo est, percipi literis non potest: alter gratulationis est, & is quidem exilior, quam si tibi teipsum intuens gratularer. Sed tamen & feci ante, & facio nunc, tibi: cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de prouincia decedentem summa laus & summa gratia prouinciæ prosecuta est. Tertium est, ut id quod de nostris rebus coram communicassemus inter nos, conficiamus idem literis. Ego cæterarum rerum causa tibi Romam properandum magno pere cenſeo. Nam & ea, quæ reliqui, tranquilla de te erant, & hac tua recenti uictoria tanta, clarum aduentū tuum fore intelligo. sed si quæ sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis, nihil tibi erit lauius, nihil gloriosius: sin maiora, considera, ne in alienissimum tempus cadat aduentus tuus. Huius rei totum consilium tuum est, tu enim sentis, quid sustinere possis. Si potes, laudabile atque populare est: sin plane non potes, absens hominum sermones facilius sustinebis

stinebis. De me autem idē tecum his ago literis, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & senatus & populus annuam esse uoluit, temporis prorogetur. Hoc a te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. Habes Paulum nostrum nostri cupidissimum: est Curio: est Furnius. Sic uelim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. Extremum illud est de iis, quas proposuam, confirmatio nostrae amicitiae, de qua pluribus uerbis nihil opus est. Tu puer me appetisti, ego autem semper ornamento te mihi fore duxi. Tuisti etiam praesidio tristissimis meis temporibus accessisti post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in uestro ingenio & industria mihi plurimum & suauitatis & dignitatis constitutum puto. Id tu, ut tuo studio confirmes, te uehementer rogo, literasque ad me & continuo mittas, & cum illam ueneris, quam saepissime. Vale.

M. T. C. C. CASSIO

391

S. P. D.

15
Etsi uterque nostrum spe pacis & odio civilis sanguinis abesse a belli necessaria pertinacia uoluit: tamen quando eius consilij princeps ego fuisse uideor, plus fortasse tibi praestare ipse debeo, quam a te expectare. Et si, ut saepe soleo tecum recordari, sermo familiaris meus tecum, & item tecum tuus adduxit utrumque nostrum ad id consilium, ut uno praelio putarem, si non totam causam, at certe nostrum indicium definiri conuenire neque quisquam hanc nostram sententiam uere unquam reprehendit. Praetereo, qui arbitrantur melius esse delere omnino Rempublicam quam

ipsum

imminutam & debilitatam manere. Ego autem ex
interitu eius nullā spem scilicet mihi proponebam :
ex reliquijs magnam. Sed ea sunt consecuta, ut magis
mirū sit accidere illa potuisse, quam nos non uidisse
ea futura, nec, cum homines essemus, diuinare potuisse.
Equidem fateor meā coniecturam hanc fuisse, ut
illo quasi quodā fatali praelio facto, & uictores com-
muni saluti consulere uellent, & uicti suæ, utrunq; au-
tem positum esse arbitrabar in celeritate uictoris.
Quæ si fuisset, eandem clementiam experta esset A-
phrica, quam cognouit Asia, quam etiam Achaia, &
ut opinor, ipso legato ac deprecatore. Amisiss au-
tem temporibus, quæ plurimum ualent, præsertim in
bellis ciuilibus, interpositus annus alios induxit, ut ui-
ctoriam sperarent, alios, ut ipsum uinci contemne-
rent, atq; horum malorum omnium culpam fortuna
sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam mo-
ram huic bello adiunctum iri, aut nescio quem istum
Pharnacem Asiæ terrorem illatum putaret? Nos ta-
men consilio pari, in casu dissimili usi sumus. tu enim
eam partem petisti, ut & consilijs interesses, & quod
maxime curā leuat, futura animo perspicere posses :
ego qui festinaui, ut Cæsarem in Italia uiderem (sic
enim arbitrabamur) eumq; multis honestissimis uiris
conseruatis redeuntem, ad pacem currentē, ut aiunt,
incitarem: ab illo longissime & absun & absui. Ver-
or autē in gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis que-
relis: quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro
tua, pro sua quisq; parte ferre potuisset, si autor assu-
isset. Quare uelim pro tua erga me perpetua beneuo-
lentia, scribas ad me, quid uideas, quid sentias, quid
i expe-

expectandum, quid agendum nobis existimes. Magni erunt mihi tuæ literæ: atque utinam primis illis, quæ Lucretia miseræ, paruissem: sine ulla enim molestia dignitatem meam retinuissem. Vale.

392 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

Puto te iam suppedere, cum hæc te tertia iam epistola ante oppreſſit, quam tu schedulam, aut literam: sed non urgeo. longiores enim expectabo, uel potius exigam. Ego, si semper haberem, cui darem, uel ternas in hora darem. Fit enim nescio quid, ut quædam adeste uideare, cum scribo aliquid ad te: neque id xar' εἶδῃ, ἢ φαντασίας ut dicunt tui amici noui, qui putant etiam διαφαντικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari. Nam, ne te fugiat, Catiū insuper Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargetti us, etiam ante Democritus εἰδωλὰ, hic spectra nominat. His autem spectris etiam si oculi possent feriri, quod uel ipsa ipsa occurrunt: animus qui possit, ego non uideo: doceas tu me oportebit, cum saluus ueneris, in meane potestate sit spectrum tuum, ut simul ac morbi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat: neque scilicet de te, qui mihi hæres in medullis: sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, eius εἰδωλὸν mihi aduolet ad pectus. Sed hæc posterius: tento enim te, quo animo accipias, si enim stomachabere & moleste feres, plura dicemus, postulabimusque ex qua hæresi ad hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi, in hoc anno. Quare si iam biennium aut triennium est, cum uirtuti inuocatum remisisti, delinquit illecebris uoluptatis, in integro res nobis

nobis erit. quanquam qui cum loquor? cum uno fortis-
simo uiro, qui posteaquā sōrum attigisti, nihil fecisti,
nisi plenissimum amplissimæ dignitatis. in ista ipsa
metuo ne plus neruorum sit, quam ego puta-
rim, si modo eam tu probas. Quid tibi in mentem ue-
nit, inquires? quia nihil habebam aliud, quod scriberē.
de repub. enim nihil scribere possum, neq; enim quod
sentio, libet scribere. Vale.

33 M. T. C. CASSIO S. P. D.

17
 PRAEPOSTEROS habes tabellarios, etsi me quidem
 non offendunt: sed tamen cum a me discedunt,
 agitant literas, cum ad me ueniunt, nullas afferunt,
 atque id ipsum facerent commodius, si mihi aliquid spa-
 tij ad scribendum darent: sed petasati ueniunt, comi-
 tes ad portam expectare dicunt. Ergo ignoscas. alte-
 ras habebis, has breues, sed expecta πάντα καὶ πάν-
 ταν. etsi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me in-
 ues ueniant, ad te cum epistolis reuertantur? Tamen
 et te scribam aliquid. Nos hic D. Syllam patrem mor-
 tuum habebamus, alij e lateribus, alij cruditate dice-
 bant, populus non curabat, combustum enim esse con-
 stabat: hoc tu pro sapientia tua feres æquo animo:
 quanquam πόσιον πόντος amisimus. Cæsarem
 curabant moleste laturum, uerentem ne hasta refrixis-
 set: M. Iulius Marcellus et A. C. Pigmentarius ualde
 reuebant se aduersariū perdidisse. De Hispania noui
 nihil, sed expectatio ualde magna: rumores tristiores,
 καὶ ἀπαιτοί. Pansa noster paludatus ad III. Cal.
 in profectus est, ut quinis intelligere posset id, quod

tu nuper dubitare cœpisti, τὸ καλὸν δὲ αὐτὸ νέεσθαι
 esse. Nam quod multos miserijs leuauit, & quod se in
 his malis hominem præbuit, mirabilis cum uiuorū bo-
 norum beneuolentia prosecuta est. Tu quod adhuc
 Brundisij moratus es, ualde probo & gaudeo: &
 mehercule puto te sapienter facturū, si ἀρχέλιος πιδας
 fueris. Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum:
 & amabo te, cum dabis posthac aliquid domum liter-
 rarum, mei memineris. Ego nunquam quenquam ad
 te, cum sciam, sine meis literis ire patiar. Vale.

394 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

18

Longior epistola fuisset, nisi eo ipso tempore peti-
 ta esset a me, cū iam iretur ad te, longior etiā, si
 φιλῶν aliquem habuisset: nam ἀποδιδόναι sine pe-
 riculo uix possumus. Ridere igitur, inquires, possumus:
 non mehercule facillime, ueruntamen aliam abere
 rationem a molestijs nullam habemus. Vbi igitur,
 inquires, Philosophia tua? & quidem in culina mea mo-
 lesta est: pudet enim seruire. Itaq; facio me alias res
 agere, ne conuicium Platonis audiam. De Hispania ni-
 hil adhuc certi, nihil omnino noui. Te abesse mea cau-
 sa moleste fero, tua, gaudeo. Sed flagitat tabellarius.
 Valebis igitur, meq; ut a puero fecisti, amabis.

395 C. CASSIUS M. T. C. S. P. D.

19

Non mehercule in hac mea peregrinatione quic-
 quam libentius facio, quam scribo ad te, uideor
 enim cum præsentē loqui & iocari. Nec tamen hoc
 nŕu

uenit propter specula Catiana: pro quo tibi proxi-
 ma epistola tot rusticos Stoicos regeram, ut Catium
 habens natum esse dicas. Pansa nostrum secunda
 uoluntate hominum paludatum ex urbe exisse, cum
 ipse causa gaudeo, tum mehercule etiam omnium
 nostrum. Spero enim homines intellecturos, quanto
 sit omnibus odio crudelitas, et quanto amori probitas
 et clementia: atque ea, quae maxime mali per-
 tant et concupiscant, ad bonos peruenire. Difficile
 est enim hominibus persuadere τὸ καλὸν δι' αὐτὰ αἰ-
 σία esse: ἡδονῶν uero et ἀνέλεγχτων uirtute
 iusticia, τὸ καλὸν parari, et uerum, et praeterea
 probabile est. ipse enim Epicurus, a quo omnes Catij
 et Amasij mali uerborum interpretes profiscun-
 tur, dicit: οὐκ ἐστὶν ἡδὺς αἰετὶ τὴν καλὴν καὶ δι-
 καίαν ζῆν. Itaque et Pansa, qui, ἡδονῶν sequitur
 uirtutem retines: et ij qui a nobis φιλόδοξοι uocan-
 tur, sunt φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι, omnesque uir-
 tutes et colunt et retinent. Itaque Sylla, cuius ius-
 dicium probare debemus, cum dissentire Philosophos
 uideret, non quæsiuit quid bonum esset, et omnia bo-
 na coëmit: cuius ego mortem forti mehercule animo
 tuli. Nec tamen Cæsar diutius nos eum desiderare pa-
 tietur, nam habet damnatos, quos pro illo nobis resti-
 tuat: nec ipse sectorem desiderabit, cum filium uide-
 rit. Nunc, ut ad Rempub. redeam, quid in Hispanijs
 geratur, rescribe. Peream, nisi sollicitus sum, ac malo
 ueterem et clementem dominum habere, quam no-
 uum et crudelem experiri. Scis, Cneus quam sit fa-
 tuus, scis, quomodo crudelitatem uirtutē putet, scis,
 i 3 quam

quam se semper a nobis derisum putet. Vereor ne nos rustice gladio uelit ~~derisum~~ ^{derisum} ~~ingratis~~ ^{ingratis}. Quid fiat, si me diligis, rescribe. Hui quam uelim scire, utrum ista se licito animo, an soluto legas, sciã enim eodẽ tempore, quid me facere oporteat. Ne longior sim, uale, et me, ut facias, ama. Si Cæsar uicit, celeriter me expecta.

M. T. C. IMP. C. TREBONIO

395

S. P. D.

ORatorem meum, si, enim inscripsi, Sabino tuo commendaui. Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem: nisi forte candidatorum licentia hic quoq; usus, hoc subito cognomen arripuit. et si modestus eius uultus, sermoq; constans, habere quiddam a Curibus uidebatur. Sed de Sabino satis. Tu mi Treboni, quando ad amorem meũ aliquatũ olim discedens addidisti: quo tolerabilius feramus igniculũ desiderij tui, crebris nos literis appellato, atq; ita, si idem fiet a nobis: quanquã duæ causæ sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas, quam nos. primum, quod olim solebant, qui Romæ erant, ad prouinciales amicos de Repub. scribere, nũc tu nobis scribas oportet. Res enim publica isthic est. deinde quod nos alijs officijs tibi absenti satisfacere possumus: tu nobis, nisi literis non uideo, qua re alia satisfacere possis. Sed cætera scribes ad nos postea. Nunc hæc primo cupio cognoscere: iter tuum cuiusmodi sit ad nos: ubi Brutum nostrum uideris, quam diu simul fueris. Deinde cũ proceperis longius, de bellicis rebus, de toto negotio, ut exstimare possumus, quo statu simus. Ego tantũ me scire putabo, quantum ex tuis literis habeo cognitum. Cura ut ualeas, meq; ames amore illo tuo singulari. Vale.

M. T.

M. T. C. TREBONIO

S. P. D.

397

21
Epistolam tuam legi libenter, & librum liben-
 tissime, sed tamen in ea uoluptate hunc accepi do-
 lorem, quod cum incendisses cupiditatem meam con-
 suetudinis augendæ nostræ (nam ad amorem quidem
 nihil poterat accedere) tum discedis a nobis, neq; tã-
 to desiderio afficis, ut unam mihi consolationē relin-
 quas fore, ut utriusq; nostrum absentis desiderii crea-
 bris et longis epistolis leniatur. Quod ego non modo
 de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi. Nul-
 lam enim reliquisti apud me dubitationem, quantum
 me amares. Nam, ut illa omittā, quæ ciuitate teste fe-
 cisti, cum mecum inimicitias communicasti, cū me con-
 cionibus tuis defendisti, cū quæstor in mea atq; in pu-
 blica causa consulum parteis suscepisti, cū Tribunis
 pleb. Quæstor nō paruisti, quibus tuus præsertim col-
 lega pareret: ut hæc recētia, quæ meminero semper,
 obliuiscar: quæ tua sollicitudo de me in armis: quæ læ-
 ticia in reditu, quæ cura, qui dolor, cū ad te curæ &
 dolores mei perferrentur: Brundisium denique te ad
 me uenturum fuisse, nisi subito in Hispaniam missus es-
 ses: ut hæc igitur omittam. quæ mihi tãti æstimanda
 sunt, quanti uitā æstimo & salutem meam: liber iste,
 quem mihi misisti, quantā habet declarationē amoris
 tui? primum, quod tibi facetum uidetur, quicquid ego
 dixi, quod alijs fortasse nō item: deinde, quod illa siue
 faceta sunt, siue sic fiunt, narrante te, uenustissima:
 quinetiam ante quam ad me ueniatur, risus omnis pe-
 ne cōsumatur. Quod si in his scribēdis nihil aliud nisi
 & necesse fuit, de uno me tamdiu cogitauisses: ferreus
 essem

essem, si te non amarem. Cum uero ea quæ scriptura
 persecutus es, sine summo amore cogitare non potue-
 ris, non possum existimare, plus quenquam a seipso,
 quam me a te amari. Cui quidem ego amori, utinam
 cæteris rebus possem, amore certe respondebo: quo
 tamen ipso tibi confido futurum satis. Nunc ad episto-
 lam uenio, cui copiose, & suauiter scriptæ, nihil est
 quod multa respondeam. Primum enim ego illas Cal-
 uo literas misi, non plus, quam has, quas nunc legis,
 existimans exituras, aliter enim scribimus, quod eos
 solos, quibus mittimus, aliter, & multos lecturos pu-
 tamus. Deinde ingenium eius melioribus extuli laudi-
 bus, quam tu id uere potuisse fieri putas. Primum,
 quod ita iudicabam, acute mouebatur. genus quoddam
 sequebatur, in quo iudicio lapsus, quo uolebat, tamen
 assequebatur, quod probaret. Multæ erant, & recen-
 ditæ literæ, uis non erat. Ad eam igitur adhortabar.
 In excitando autem & in acuendo plurimum ualet,
 si laudes eum, quem cohortere. Habes de Caluo iudi-
 cium & consilium meum: consilium, quod hortandi
 causa laudauit: iudicium, quod de ingenio eius ualde
 existimaui bene. Reliquum est, tuam professionem
 amore prosequar: reditum spe expectem, absentem
 memoria colam, omne desiderium literis mittendis ac-
 cipiendisq; leniam. Tu uelim tua in me studia & offi-
 cia multum tecum re-ordere: quæ cum tibi liceat, mi-
 hi resas sit obliuisci, nō modo uirum bonum me
 existimabis, uerum etiam te a me amari
 plurimum iudicabis. Vale.